



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Petrus iubetur pios libellos scribere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Anno 1555.

Inter hæc nouis in dies victoriis Viennensium Ecclesiam tutabatur, cum anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti vere Kal. Martij Hieronymus Natalis beati Ignatij missu Visitator Viennam venit; & Constitutiones quas iam per Hispaniam, & Italiam promulgarat, in quoque Collegio promulgauit, declarauitque. Plurimum acer ille veræ laudis æstimator delectatus est virtute, industriaque Canisij; quem beatus Ignatio dilaudans, eius præcipuè factum laboribus per eos ipsos dies, & concionibus narrat, ut sacerdos, qui erat inter Lutheranos verbi Minister non solum ad Catholicos rediret, sed etiam Societati se traderet: utque alius prænobilis, & gratiosus concionator, qui & prouocatus ad disputationem erat, non ausus congregari, repentina fuga se eriperet; vnde & magno Vienna periculo liberata erat. Idem & Canisij facultatem, & locorum necessitates considerans, autor ei fuit, ut complures libellos, quos nominatim proponebat, ad usum pietatis scriberet, ederetque. Magnopere Canisius quoque lætatus est Visitatoris aduentu: ut semper gaudebat animæ suæ res cum Præpositis communicare, tantus licet Magister pro tyrone sege-

*Petrus inbe-  
tur pios li-  
bellos scribere*

segerens: & quia, quæ de more solent adiacere  
 Professi Societatis vota simplicia, non dum emi-  
 ferat, ea Natali suscipiente concepit: vnde intelli-  
 gitur adhuc nulla voti religione obstrictum, sed  
 libera pietate oblatis honoribus obstitisse. Nec  
 longo interiecto tempore Pragam à Ferdinando  
 Rege iubetur adire, vt ad Collegium inibi extru-  
 endum vtilia præpararet. Cùm enim priore an-  
 no Pragam abiisset Ferdinandus, tum admonitu  
 Labacensis Episcopi, tum Viennensis Collegij  
 inuitatus successu, decreuit in aliquo per Boë-  
 miam desertorum Cœnobiorũ Societatem col-  
 locare. Quod cum Canisio prompsisset, is nus-  
 quam commodius ad publicos vsus, quam ipsa  
 in Vrbe Praga statui posse demonstrauit, facileq;  
 persuasit, commodum per id tempus, cum maxi-  
 me Philippus Melanchthon, dira Germaniæ pe-  
 stis, tentabat in eam urbem ingressum, meritissi-  
 moq; reiectus est. Igitur quamuis tam malè erga  
 se animatos Hæreticos Canisius probe nosset, ta-  
 men peregrinationem in Boëmiam & magno a-  
 nimo Deo fretus suscepit, & sospes eodem duce  
 peregit. Exceptus est Pragæ à bonis omnibus gra-  
 tulatione summa, & protinus in suggestum ascē-

*Pragam adit  
 res ad Colle-  
 gium para-  
 turus.*

*Prage con-  
 cionatur.*

dit: